58,370/.3 Sup.P.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30540409

CONSTITVTIONES RELIGIONIS FRATRVM BETHLEEMITARVM

IN Indijs Occidentalibus.

ROMÆ, MDCCX.

Typis Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ.

SVPERIORVM PERMISSV.

317494

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

INNOCENTIVS
PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

ECCLESIÆ Catholicæ per vniuerſum Terrarum Orbem diffuſæ regimini, meritis licèt imparibus, per ineffabilem Diuinæ Sapientiæ, atque bonitatis abundantiam præſidentes ad ea per quæ pietatis, & Chriſtianæ charitatis opera vbique locorum, præſertim ad Infirmorum, & Conualeſcentium ſubuentionem, & vtilitatem prouidè, prudenterque ordinantur, propenſis ſtudijs intendimus, & Chriſtifidelium in idipſum laudabiliter,& fructuosè incumbentium Confraternitates in viſceribus paternæ gerentes charitatis, fælici illarum ſtatui, & proſperæ in via mandatorum Domini directioni libenter prouidemus, illaſque,& perſonas in eis famulantes opportunis fauoribus, & gratijs proſequimur, ſicut,rerum,locorum, temporum,& perſonarum qualitatibus maturè conſideratis ad Dei Omnipotentis gloriam, & animarum ſalutem, ac piorum operum incrementum, Populique Chriſtiani ædificationem, & conſolationem ſpiritualem conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Rodericus à Cruce Procurator Generalis Confraternitatis Confratrum Bethleemitarum nuncupatæ in Hoſpitalibus pauperum Conualeſcentium in Indijs Occidentalibus canonicè (vt

aſſeritur) erectæ, quod dicta Confraternitas in eiſdem Indijs initium habuit à quondam Petro Betancur à Sancto Ioſepho, qui primam Domum, & Hoſpitale ipſius Confraternitatis in Ciuitate Guatimalæ pro pauperum Conualeſcentium cura, alijſque pietatis, & Chriſtianæ charitatis operibus anno MDCLIII. ædificare cœpit. Et ſubindè cùm aliud ſimile Hoſpitale anno MDCLXXI. in Ciuitate Limana fundatum fuiſſet, Conſtitutiones pro prædictæ Confraternitatis gubernio iuxtà tunc exiſtentem illius ſtatum factæ anno MDCLXXIV. per Sedem Apoſtolicam confirmatæ fuerunt. Porrò aucto eiuſmodi Hoſpitalium numero vſque ad vndecim, & in promptu exiſtente multorum aliorum fundatione pro fælici, proſperoque eiuſdem Confraternitatis regimine, & gubernio formatæ fuerunt nouæ Conſtitutiones præſenti illius ſtatui conuenientes tenoris qui ſequitur; = Cùm autem ſicut eadem expoſitio ſubingebat prædictus Rodericus Procurator Generalis Conſtitutiones huiuſmodi quo firmius ſubſiſtant, & ſeruentur exactiùs Apoſtolicæ Confirmationis noſtræ patrocinio communiri, & aliàs dictæ ſocietatis ſtatui opportunè à nobis prouideri, ac vt infrà indulgeri plurimum deſideret: Nos ipſius Roderici Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cùm Domino poſſumus fauorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes ſupplicationibus eius nomine nobis ſuper hoc humilitèr porrectis inclinati, de nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardina-

lium

lium ſuper hoc negocio à nobis ſpecialitèr deputatorum conſilio præfatam Societatem Confratrum Bethelemitarum nuncupatam Hoſpitalium Pauperum Conualeſcentium in Indijs Occidentalibus Congregationem ſub Regula Sancti Auguſtini, infraſcriptis Conſtitutionibus auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò erigimus, & inſtituimus. Ac eaſdem Conſtitutiones prædictas cùm omnibus, & ſingulis in eis contentis auctoritate, & tenore prædictis confirmamus, & approbamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos iuris, & facti defectus ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus. Præterea eamdem Congregationem, ſic à nobis erectam eiuſque Confratres, Hoſpitalia, Eccleſias, & perſonas quaſcumque ab omnimoda iuriſdictione, & correctione quorumcumque Ordinariorum locorum, eadem auctoritate harum ſerie eximimus, & plenariè liberamus, ipſamque Congregationem, Confratres, Hoſpitalia, Eccleſias, & perſonas huiuſmodi ſub omnimoda noſtra, & huius Sanctæ Sedis Apoſtolicæ protectione, & ſubiectione ſuſcipimus. Porrò ipſam Congregationem ſic erectam, eiuſque Confratres quoſcumque à ſolutione quartæ funeralis tàm Sæcularibus, quàm Regularibus Eccleſijs Parochialibus, alijſque Locis Pijs, etiam Doctrinæ Populi Indorum, aut alia quauis denominatione nuncupatis debitæ, auctoritate prædicta earumdem tenore præſentium pleniſſimè, & ampliſſimè de nouo eximimus paritèr, & liberamus. Declarantes huiuſmodi exemptionem ſuffragari debere etiam quoad Hoſpitalia in futurum erigenda, & perſonas commorantes, & inſeruientes intra ſepta Hoſpitalium, dummodo tamen ſepelliantur in Eccleſijs dictorum Confratrum, & dictæ Eccleſiæ alias

ha-

habeant Cœmeterium. Inſuper eiſdem Confratribus, Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum debitis tamen cùm honore, & reuerentia in Eccleſijs dictorum Hoſpitalium aſſiduè, & perpetuò aſſeruare, & retinere libere, & licitè poſſint, vtque Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Vnctionis adminiſtrari valeant Infirmis, & alijs perſonis ſupra expreſſis per Cappellanos eorumdem Hoſpitalium, dummodo tamen ijdem Cappellani intra ſepta dictorum Hoſpitalium commorentur, vtque liceat eiſdem Cappellanis in dictis Eccleſijs Diuina Officia, & Miſſas ſolemnes celebrare etiam in hebdomada maiori auctoritate, & tenore præfatis concedimus, & indulgemus. Denique Confratribus dictæ Societatis verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis qui die primo eorum ingreſſus in Societatem huiuſmodi plenariam; Nec non omnibus, & ſingulis ipſius Societatis Confratribus, ac Infirmis morientibus, & perſonis inſeruientibus in dictis Hoſpitalibus in cuiuslibet eorum mortis articulo, ſi verè ſimilitèr pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiuerint, ſaltem contriti nomen Ieſu ore ſi potuerint, ſin minùs corde deuotè inuocauerint, itidem plenariam ac omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus verè quoque pœnitentibus, & confeſſis, & Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſijs dictorum Confratrum tàm hactenus erectis, quàm impoſterum quandocumque erigendis in duabus tantum anni feſtiuitatibus per Ordinarios locorum reſpectiuè ſemel tantùm deſignandis à primis Veſperis vſque ad occaſum Solis feſtiuitatum huiuſmodi annis ſingulis deuotè viſitauerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias

ad

ad Deum preces effuderint, qua feſtiuitate prædictarum id egerint, etiam plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem misericorditer in Domino concedimus. Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectiuè inuolabilitèr obſeruari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Iudices Ordinarios, & Delegatos etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Apoſtolicis, & in Vniuerſalibus, Prouincialibuſque, & Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, nec non dictæ Confraternitatis, & Eccleſiarum, Ordinum, & Locorum Piorum quorumlibet alijſque quibuſuis etiam Iuramento cõfirmatione Apoſtolica vel quauis firmitate alia roboratis, Statutis, & conſuetudinibus, Priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficientèr expreſſis, & ad verbum inſertis habentes illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialitèr, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, vt earumdem præſentium litterarum tranſumptis, ſeù exemplis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides vbique locorum

tàm in iudicio, quàm extrà illud habeatur; quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romę apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die xxvi. Martij MDCLXXXVII. Pontificatus noſtri anno vndecimo.

I.G. Cardinalis Sluſius.

Loco ✝ Sigilli ſub Annulo Piſcatoris.

CA-